



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

IX. Per quam præcisionem formalem natura fiat Vniversalis formaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

tendit in prædicatum, propositio hæc: *Petrus est homo*, non potest esse falsa; quia ut sic totam propositionem non attingit; sed solum terminum siue prædicatum, in quo nulla est veritas aut falsitas propositionalis.

CLX. Obijcies 5^o. conceptus distinctus; vel potius diuidens naturam Vniuersalem, siue unum in multa, attingit multa intrinsecè objectivè; ergo è contrà conceptus confusus, vel potius uniens naturam Vniuersalem siue multa in unum, attingit unum intrinsecè objectivè; præbatur consequentia, quia oppositorum opposita est ratio.

CLXI. Respondeo negando consequentiam, est enim disparitas, quod unum formaliter ex parte actus sit reipsa intrinsecè objectivè & realiter multa, quæ nullâ ratione possunt fieri unum intrinsecè objectivè & realiter, bene extrinsecè, ut sæpè Dubiis præcedentibus probatum est: ad probationem verò consequentiæ, Respondeo oppositorum non esse quoad omnia oppositam rationem; etenim conceptus ille diuidens, ab uniente solum distinguitur, quod destruat unitatem formalem, hic verò ponat.

D V B I V M V I I I.

An Natura Physicè multiplicabilis abstracta ab uno individuo Physico tantum, sit Vniuersalis & prædicabilis de aliis individuis Physicis.

R E S O L U T I O.

CLXII. Dico contrà PP. Hurtadum Disputatione 5. Metaph. Sectione 9. & Smigletium Disp. 4. q. 4. & quosdam alios, natura etiam Physicè multiplicabilis, siue cuius realiter existunt, vel realiter existere possunt plura individua, formaliter præcisa ab uno individuo tantum, non est de aliis individuis Physicis à quibus abstracta non est, prædicabilis, & respectu eorum Vniuersalis.

CLXIII. Probatur, quia natura Vniuersalis prædicabilis de multis individuis Physicis debet esse una ex parte præcisionis formalis & multa realiter siue ex parte objecti, ut patet: atqui natura formaliter præcisa ab uno tantum individuo, Petro v. g. non est multa realiter siue ex parte objecti magis quam Petrus, licet sit una ex parte præcisionis formalis, ergo, &c.

CLXIV. Confirmatur; natura ab uno individuo Physico tantum formaliter præcisa, tantum potest de uno individuo Physico affirmari, ergo non est Vniuersalis prædicabilis de multis individuis Physicis; consequentia patet: probatur antecedens; quia sicut natura formaliter præcisa non est eadem realiter, nisi cum eo à quod formaliter præcinditur (nam præcisio formalis non dat, nec tollit realem identitatem: ita ab uno tantum formaliter præcisa, potest de uno tantum affirmari, licet sit una formaliter ex parte actus; quia præter hanc unitatem requiritur multiplicitas ex parte objecti, quæ tunc non habetur.

CLXV. Obijcies tamen, natura abstracta ab uno individuo cognoscitur sine omni singularitate, ergo abstrahitur ab omnibus individuis. Probatur

consequentia; quia cognosci sine omni singularitate est abstrahi ab omnibus individuis, ergo, &c.

CLXVI. Respondeo admissio antecedente, negando consequentiam; ad ejus probationem similiter nego antecedens; ratio est; quia, cum abstractio formalis sit tantum mentalis, est identificatorum realiter aut unius gradus Metaphysici ab alio à se realiter indistincto abstractio; non verò realiter distinctorum aut unius gradus Physici ab alio à se realiter distincto: alioqui, sicut qui conciperet naturam humanam Petri sine Petreitate, conciperet eam sine omni singularitate; ita faceret naturam Petri de omni ente singulari affirmabilem; nam natura est de eo affirmabilis, à quo abstracta est, nullus tamen id dixerit. Ex his

CLXVII. Colliges naturam à duobus individuis Physicis abstractam, non nisi esse Vniuersalem respectu istorum duorum, siue nonnisi de illis duobus esse affirmabilem; & consequenter naturam ab uno tantum abstractam, non esse respectu aliorum individuum Physicorum Vniuersalem, siue de illis affirmabilem, cum sit de uno tantum affirmabilis; illam tamen non esse positivè singularem defectu singularitatis, à qua abstrahitur, evidens est; unde dici poterit negativè singularis & negativè Vniuersalis respectu aliorum individuum Physicorum; quia non habebit positivam singularitatem.

D V B I V M I X.

Per quam præcisionem formalem natura fiat Vniuersalis formaliter.

CLXVIII. Antè Resolutionem Adverte ex PP. Hurtado, Arriaga, Oviedo & aliis, præcisionem formalem siue conceptum confusum, quo natura fit Vniuersalis, posse esse disjunctivum, ita ut attingat multa individua sub disjunctione *vel*; aut copulativum, ita ut attingat multa individua sub conjunctione &. Hoc præmissio, sit

R E S O L U T I O I.

CLXIX. Dico 1^o. contrà P. Hurtadum, natura non fit Vniuersalis per actum confusum disjunctivum siue disjunctivè attingentem plura individua; ita scilicet, ut per conceptum hominis, non attingatur, nisi *vel* Ioannes, *vel* Petrus, *vel* Paulus, &c.

CLXX. Probatur, quia non datur actus disjunctivus, tam confusus ac requiritur ad hoc, ut natura sit Vniuersalis, ergo, &c. Probatur antecedens, quia ad hoc, ut natura sit Vniuersalis, requiritur actus confusus nullo modo distinguens singularia inter se; alioqui ea non faceret unum: nam attingeret hæcceitates, quæ, utpotè rationes distinctionis, hoc ipso, quod attinguntur, impediunt unum, non secus ac ipsa distinctio: atqui omnis actus disjunctivus attingens disjunctivè singularia, hoc ipso quod disjunctivus est, ea inter se disjungit, ac proinde aliquo modo distinguit, ergo, &c.

CLXXI. Dixi aliquo modo distinguit; quia evidens est actum disjunctivum non ita perfectè

& clarè individua inter se distinguere, ut actus tendens in duo singularia, quatenus singularia seorsum & determinatè, quod patet ex sequentibus propositionibus, *Petrus non est Paulus, Petrus est vel Paulus, vel Petrus*: magis enim distinguo Petrum à Paulo in illa propositione, quàm in hac, *Petrus est vel Paulus, vel Petrus*.

CLXXII. Confirmatur 1^o. qui dicit, aliquis homo loquitur, significat se plures homines in individuo cognoscere, ex quibus unum audit loquentem; ergò aliquo modo illos distinguit inter se; alioqui non diceret unum ex multis loqui, sed omnes confusè, in quantum discernere non posset, an unus, an plures, an omnes loquerentur; ergò, &c.

CLXXIII. Confirmatur 2^o, sicut disjunctio obiectiva vel est inter distincta; ita actus disjunctivus apprehendit distincta; ac proinde formaliter distinguit; ergò, &c.

CLXXIV. Confirmatur 3^o. frustra requiritur ut actus per quem natura fit universalis, sit disjunctivus confusus, ergò, &c. probatur antecedens, quia ut ex Resolutione 3^a patebit, sufficit confusus plurium ab intellectu confusibilem repræsentativus, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

CLXXV. Dico 2^o. contrà PP. Arriagam, Oviedum & quosdam alios: natura non fit universalis per actum confusum copulativum, sive copulativè attingentem plura individua, ita scilicet, ut per conceptum hominis attingantur & Ioannes, & Petrus, & Paulus, &c.

CLXXVI. Probatur, quia non datur actus copulativus tam confusus, ac requiritur ad hoc, ut natura fit universalis, ergò, &c. probatur antecedens, quia ad hoc, ut natura fit universalis, requiritur actus confusus nullo modo distinguens singularia inter se, alioqui non faceret unum: sed omnis actus confusus attingens copulativè singularia, hoc ipso, quod copulativus est, ea inter se ut distincta copulat; ac proinde aliquo modo distinguit; nam ea ut distincta aliter attingere non potest, quod fieri debet P. Oviedus, ut loquatur consequenter, ad ea, quæ docet Log. Controv. 3. puncto 5^o. num. 17. videlicet per complexum *omnis homo* significari singularia distincta inter se; quia complexum illud ratione signi *omnis* resolvitur form aliter in istud, *hic homo & hic homo & hic homo*.

CLXXVII. Confirmatur 1^o: qui dicit, *Petrus Paulus loquitur*, significat se unum hominem in individuo cognoscere, qui loquitur: qui verò dicit, & *Petrus, & Paulus loquitur*, significat se duos homines in individuo cognoscere, qui loquuntur; ergò propter copulativam particulam &, hos distinguit, & illius defectu, illos confundit; ergò, &c.

CLXXVIII. Confirmatur 2^o: sicut copula obiectiva & est inter distincta; ita actus copulativus apprehendit distincta; ac proinde formaliter distinguit; ergò, &c.

CLXXIX. Confirmatur 3^o: frustra requiritur ut actus, per quem natura fit universalis, sit copulativus, confusus; ergò, &c. Probatur antecedens, quia, ut ex Resolutione sequenti patebit, sufficit confusus plurium ab intellectu confusibilem repræsentativus, ergò, &c.

CLXXX. Dices in hoc distinguitur actus copula-

tivus confusus ab actu copulativo claro, quod hic plura, quæ concipit, inter se distinguat; ille verò confundat: sed ad universale aliud non requiritur, nec actus confusus præcisè aliud præstat, ergò, &c.

CLXXXI. Respondeo negando assumptum; quia sic actus copulativus confusus, disjunctivus confusus, & vagus confusus inter se confunderentur; licet enim in eo, quod sunt actus confusos, conveniant; in eo tamen, quod sint talis actus confusus, haud minùs inter se differunt, quàm actus copulativus distinctus, disjunctivus distinctus, & vagus distinctus; qui tamen etiam in ratione actus distincti inter se conveniunt. Deinde omnis actus, hoc ipso quod copulativus, aut disjunctivus est, saltem est magis distinctivus, quàm confusus præcisè, quia ne quidem confusivè positivè attingit conjunctionem &, aut disjunctionem vel; in eo autem, in quo magis distinctivus & attingens conjunctionem &, aut disjunctionem vel ex parte actus, non dat unitatem ex parte actus; sed ex parte illius pluralitatem retinet; quia conjunctio aut disjunctio ex parte actus, est ex parte actus plurium ut talium unio aut divisio.

RESOLUTIO III.

CLXXXII. Dico 3^o. natura fit universalis per actum confusum præcisè, (id est, nec copulativum; nec disjunctivum) plurium ab intellectu confusibilem; ita scilicet ut per conceptum hominis attingantur *Ioannes, Petrus, Paulus, &c.* sine ulla distinctione eorum inter se ex parte actus confundentis.

CLXXXIII. Probatur conclusio, quia datur talis conceptus confusus (ut vel experientia docet) qui nec sit copulativus, nec disjunctivus, & sufficiat ad faciendum ex multis unum ex parte actus, ac proinde naturam universalem, ut solutione argumentorum patebit; ergò, &c.

CLXXXIV. Confirmatur refutatione aliarum sententiarum.

CLXXXV. Obijcies tamen 1^o. si natura fiat universalis per actum confusum plurium ab intellectu confusibilem repræsentativum; si v.g. *homo* fiat universalis per hoc, quod Ioannes, Petrus, Paulus, &c. attingantur sine ulla distinctione eorum inter se ex parte actus confundentis, debebunt Ioannes, Petrus, Paulus, &c. sive tota collectio individuum, prædicari de quolibet individuo: sed hoc dici non potest; ergò, &c. probatur sequela, quia erunt natura universalis; natura verò universalis debet prædicari tota de quolibet; ergò, &c. probatur minor; quia sic realiter distincta deberent affirmari de invicem, quod nullà ratione fieri potest; ergò, &c.

CLXXXVI. Respondent RR. PP. Arriaga, Hurtadus & alii Recentiores, Ioannem, Petrum, Paulum, &c. sive totam collectionem individuum debere prædicari inadæquatè tantum de quolibet individuo: ratio ipsorum est, quia ad prædicationem naturæ universalis non requiritur ut tota natura universalis prædicetur de quolibet, sed solum ut prædicetur illa natura, quæ in apprehensione præcedenti iudicium prædicans, fuerat universalis. Sed

CLXXXVII. Contrà 1^o. in illa apprehensione præcedenti, vel natura universalis fuit apta prædicari adæquatè & tota de quolibet, vel non?

Si

CLXXXVIII. Si prius, dicendum est fuisse & non fuisse aptam prædicari adæquatè & totam de quolibet, quod implicat: fuisse quidem supponitur; non fuisse probatur, quia aptitudo seu potentia illa ad prædicari adæquatè & totam, secundum Arriagam, non potest reduci ad actum, defectu se tenente ex parte naturæ; quia illa non est tota affirmabilis de quolibet; frustra autem est & nulla potentia, quæ non potest reduci ad actum defectu alicujus se tenentis ex parte potentie. Deinde quæro, quomodo in illa apprehensione præcedenti fuit apta adæquatè & tota prædicari de quolibet; quandoquidem putent ex aduocatione istius aptitudinis sequi aliquid impossibile, Petrum scilicet affirmari verè de Paulo, & realiter distincta identificari; apto enim siuè possibili posito in actu, nihil sequitur impossibile, ut vel ipse Arriaga, & alii fateri debent.

CLXXXIX. Si posterius v. g. si fuit tantum apta prædicari inadæquatè & secundum partem; ergo non fuit vniuersalis, magis quam mare respectu hujus & hujus partis maris: quia non fuit apta prædicari, cum sui multiplicatione.

CLXXXX. Contra 2^o dum per ipsos, Vniuersale prædicatur de individuis, non secundum se totum, sed secundum partem tantum, &c. vel pars Vniuersalis sumitur ex parte objecti, vel ex parte intellectus? non ex parte objecti; quia ut sic est hoc singulare; unde Vniuersale non prædicaretur de multis univocè; quia hoc singulare non prædicatur de multis univocè; imò non esset Vniuersale, quia hoc singulare non est Vniuersale; si verò ex parte intellectus; supponitur falsum, videlicet vel intellectum Vniuersalificantem distinguere partem & partem, cum sit partem & partem uniens & confundens; vel naturam Vniuersalem non esse unam ex parte intellectus, sed plures naturas partiales, quæ, sicut quæ plures, non sunt natura Vniuersalis; ita quæ prædicantur ut plures, numquam prædicantur natura Vniuersalis. Deinde cum dicunt, Vniuersale prædicari secundum partem, vel illa pars est singularis, vel Vniuersalis? si singularis, ergo non prædicatur Vniuersale: si Vniuersalis, prædicatur secundum unam sui partem tantum, vel secundum totum? si secundum totum, idem nobiscum ab initio dicere debuissent; si secundum partem tantum, vel illa pars est Vniuersalis, vel singularis? & sic in infinitum.

CLXXXXI. Respondet paulò aliter P. Comptonus Logic. Disp. 32. Sect. 3^a. dum ait, in hac propositione, *Petrus est homo*, prædicari naturam humanam secundum se, siuè secundum prædicata essentialia hominis, præscindendo ab eo, quod natura humana sit Vniuersalis aut singularis, & consequenter illam prædicari totam intensivè, non extensivè. Sed

CLXXXXII. Contra 1^o. si natura secundum se non dicat (ut docet) hæcceitatem, hujus propositionis, *Petrus est homo*, erit hic sensus, *Hic homo secundum se est homo secundum se non dicens hæcceitatem*, quæ si vera sit, etiam hæc erit vera, *Hic homo non est hic homo* (quod nullus admiserit) quia homo secundum se non dicens hæcceitatem non est hic homo secundum se.

CLXXXXIII. Contra 2^o. vel P. Comptonus naturam secundum se considerat quatenus se habet ex parte actus præscindentis, vel quatenus se habet ex parte individuorum, quia negat contra Scotistas ens medium antè intellectum? si 2^{um}, est Vniuers-

salis: si 2^{um}, est multa individua, unde ipsi incumbit solvere totum, quod contra præcitatos Authores attulimus. Idem dic de natura tota intensivè; unde incidit in ipsorum laqueos (velit, nolit) hic & in fine, sect. citatæ, dum ait; hujus propositionis, *Petrus est homo*, posse esse hunc sensum, *Petrus participat naturam humanam*, quia id idem est quod, *Petrus est homo inadæquatè sumpto homine*; quod a. n. 186. contra Arriagam & alios impugnatum est: quare aliter

CLXXXXIV. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens pro 1^a. parte, si v. g. *homo* fiat Vniuersalis, &c. debent Ioannes, Petrus, Paulus, &c. siue debet tota collectio individuorum prædicari de quolibet individuo, tota ex parte actus confusi Vniuersalificantis, siue quo facti sunt natura Vniuersalis, concedo antecedens; nec mirum, quia ex parte illius nulla prorsus est distinctio istorum individuorum inter se, omnia enim apparent unum, & natura Vniuersalis ut una ex parte illius actus confusi debet de quolibet prædicari adæquatè & tota; alioqui nullo sensu natura Vniuersalis esset apta prædicari de multis cum sui multiplicatione, ut monstratum est: tota ex parte actus verè prædicantis & ex parte objecti, nego antecedens: ratio 1^a. partis est, quia actus verè prædicans debet esse affirmatio æqualis de æquali, & non Vniuersalis de singulari, aut magis includentis de minus includente, quod alioqui fieret: ratio verò 2^a. partis est, quia, ut tota ex parte objecti, est natura singularis Petri, natura singularis Pauli, &c. unde sicut de Petro tantum potest prædicari natura propria Petri, de Paulo natura propria Pauli, &c. ita natura Vniuersalis, ut tota ex parte objecti, non potest prædicari de quolibet: ex quo liquet naturam Vniuersalem ex parte actus siuè conceptus confusi Vniuersalificantis prædicari totam & sine distinctione, prout attingitur tota & sine distinctione; ex parte verò objecti affirmari ut identificatam ei, de quo prædicatur, & ut singularem ac distinctam à cæteris, quibus non est realiter identificata.

CLXXXXV. Obijcies 2^o. actus tendens in aliquod horum objectorum, populus pro gente, omnis homo, aliquis homo, non facit objectum suum Vniuersale: sed ille est actus confusus plurium confusibilium repræsentativus, ergo natura non fit Vniuersalis per talem actum confusum.

CLXXXXVI. Respondeo 1^o. distinguendo consequens, ergo natura, cui saltem post conceptum conveniunt conditiones ad Vniuersale supra requisitiæ, non fit Vniuersalis per talem conceptum confusum, nego consequentiam; cui, etiam post conceptum, aliqua non conveniunt, concedo consequentiam: populus verò pro gente; omnis homo; aliquis homo, sunt de numero hujus: nam populus pro gente etiam post conceptum, non est quid unum: re: omnis homo, & aliquis homo non sunt voces simplices.

CLXXXXVII. Respondeo 2^o, distinguendo minorem; sed est actus aliquid confusus, concedo minorem: confusus quantum requiritur ad hoc, ut natura fiat Vniuersalis, nego minorem: actus enim tendens in *populum* pro gente, non potest facere Vniuersale, quia tendit in multa ut multa: tendens in *ly omnis homo*, tendit in individua copulativè, ac proinde cū distinctione eorum inter se, ut contra seipsum facitur R. P. Ovidius loco Resol.

solut. 2^a n. 176. citato: tendens in ly *aliquis homo*, tendit in individua disjunctivè, ac proinde etiam cum distinctione eorum inter se, quæ distinctio impedit quo minus actus sit tam confusus ac requiritur, ut faciat naturam Vniversalem, ut supra n. 170. probatum est.

D V B I V M X.

*An præter præcisionem formalem requiratur
notitia comparativa ad hoc, ut natura
fiat proximè, & completè Vniversalis,
sive in essendo, sive in prædicando.*

A Ntè Resolutionem
CXCVIII. Adverte 1^o. notitiam comparativam, sive comparisonem esse cognitionem unius cum respectu ad aliud: undè comparatio naturæ Vniversalis ad multa, est cognitio hominis v.g. cum respectu ad sua inferiora, Petrum scilicet, Paulum, &c. Comparatio autem assignari potest duplex, una simplex, alia composita: simplex est, quæ fit sine affirmatione naturæ Vniversalis de suis inferioribus; composita, quæ cum affirmatione; ac proinde hæc, est prædicatio naturæ Vniversalis (saltem materialiter) de inferioribus; non item illa.

CLXXXIX. Adverte 2^o. R. P. Oviedum Log. Cōtrov. 3^a. Pūcto 6^o. docere, Vniversale Metaphysicum fieri per solam præcisionem formalem; quia Vniversale Metaphysicum definit *Vnum aptum inesse multis per simplicem comparisonem*: Vniversale verò Logicum fieri per præcisionem formalem & comparisonem simplicem superadditam; quia Vniversale Logicum definit, *Vnum aptum inesse multis per comparisonem compositam*; undè vult, præcisionem formalem dare naturæ aptitudinem proximam ad comparisonem simplicem, & comparisonem simplicem eidem dare aptitudinem ad comparisonem compositam, sive prædicationem naturæ Vniversalis de inferioribus. Coincidit, quod P. Ioannes à S. Thoma, inter Recentiores celebris Thomista, Log. quæst. 3^a. art. 5^o. dicit, Vniversale Metaphysicum fieri per præcisionem absolutam sine ulla comparisonem: Logicum verò per illam præcisionem & comparisonem simplicem, sive simplicis rationis, id est, relationis, quæ non est prædicationis actualis. Prima ratio ipsius est, quia Metaphysicus naturas sine relationibus; Logicus verò relationes cōsiderat. Secunda, quia præcisio requisita ad Vniversale Metaphysicum, non respicit multa tamquā terminum, ad quem natura tendit & ordinatur, sicut Logicum; sed tamquam terminum, à quo natura separatur.

CC. Adverte 3^o. Thomistas & cum ipsis P. Ariagam Log. Disp. 5^a. communiter defendere naturam positā solā præcisione, & antè comparisonem simplicem illius ad sua inferiora, non esse proximè, positivè & completè Vniversalem in prædicando, sed remotè dumtaxat, negativè & incompletè: contrā quos fit

R E S O L U T I O I.

CCI. **D** Ico 1^o. contra P. Oviedum: tam Vniversale Logicum, quā Metaphysicum fit per solam præcisionem formalem sine ulla comparisonem simplici, ita Durandus in 1^a. dist. 3.

p. 2^o. q. 5. ad 2^{um}. & in 2^{um}. dist. 3. q. 7. Toletus Vniversalium q. 2. Videtur etiam D. Thoma loco infra citando.

CCII. Probatur 1^o. quia, ex dictis Dub. 3^o. Vniversale Logicum & Metaphysicum solo nomine distinguuntur: sed Metaphysicum, secundū ipsum, fit per solam præcisionem formalem, sine ulla comparisonem simplici; ergo & Logicum.

CCIII. Probatur 2^o. quia sine ullo fundamento, & malè dicit Oviedus, Vniversale Metaphysicum in eo distingui à Logico, quod sit unum aptum inesse multis per comparisonem simplicem, Logicum verò per compositam; quia indè sequitur quamlibet causam productivam multorum effectuum, ac proinde *Petrum*, esse Vniversale in essendo, cum sit aptus inesse multis per simplicem comparisonem, id est, per comparisonem sui ad multos effectus: ergo, &c.

CCIV. Nec dicat Oviedus, se requirere præcisionem formalem naturæ à multis ad Vniversale Metaphysicum; quia omnino frustra eam requirit, cum ex una parte natura sit apta inesse multis per simplicem comparisonem à parte rei, & antè præcisionem formalem, ut patet; & ex aliā, ad Vniversale Metaphysicum tantum requiratur esse aptum inesse multis per simplicem comparisonem.

CCV. Probatur 3^o. simplex comparatio non dat esse in multis, sed oppositum, videlicet esse extra multa: ergo sine fundamento, & malè dicit Oviedus Vniversale Metaphysicum in eo distingui à Logico, quod sit unum aptum inesse multis per comparisonem simplicem, &c. Sed per præcisionem formalem tale dici debet, juxta illud D. Thom. Opus. 5^o. *Eadē natura, quæ singularis erat, efficitur postea Vniversalis, per actionem intellectus deparantis ipsam à conditionibus, quæ sunt hic & nunc.* Probatur antecedens, quia comparatio simplex fit cum respectu naturæ Vniversalis ad multa individua, qui respectus necessariò mediare debet inter duo sibi invicem extrinseca, ut constabit ex dicendis de Relatione, quæ est Ordo unus ad aliud; ergo, &c.

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 85. art. 2. ad 2^{um}, per totum & loco statim citato.

R E S O L U T I O I I.

CCVI. **D** Ico 2^o. contra RR. PP. Complut. Ioannem à Sancto Thoma, Didacum à Iesu, &c. tam Vniversale Logicum, quā Metaphysicum fit per præcisionem absolutam sine ulla comparisonem. Probatur 1^o. ut antè, quia Vniversale Logicum & Metaphysicum solo nomine distinguuntur, sed Metaphysicum secundum ipsos fit per præcisionem absolutam sine ulla comparisonem, ergo & Logicum.

CCVII. Probatur 2^o. refutatione rationū P. Ioan. &c. quæ tamen parum premunt: itaque ad 1^o. Respondeo Logicum rectè considerare naturas ut uno conceptu confusibiles, & à multis abstrahibiles; licet eas non consideret ut naturas; quod nec facit Metaphysicus, sed Physicus; 1^{um} verò ad formandum Vniversale Metaphysicum sufficit. Deindè non video cur potius Logicus consideret relationes, quā Metaphysicus; nam alii prædicamenta in Metaphysica, alii in Logica tractant. Ad 2^o. Respondeo Vniversale Metaphysicum (formaliter scilicet & ut quo) sumptum pro conceptu confuso Vniversalificante, posse multipliciter considerari,

ut